

tantò sibi rem videri obscuriorem; verum aliis etiam meliori si-  
dere natis. Sanè Gregorius Nazianzenus de seipsô sic testatur:  
*Vix unum animô concepi, cùm statim trinô lumine circumfulgeor, &*  
*vix tria distingvere incipio, cùm ad unum rursus sublimis feror..*  
*Hinc tanta hic sententiarum divortia, tantæq; tamq; periculose*  
*errorum voragine, qvibus scotomatica submerguntur ingenia.*  
*Qvousq; igitur in cognoscendô DEO & per naturam & per gra-*  
*tiosam manifestationem pertingere liceat, jàm disquirere*  
constitui. Cæptis clementer annuat S.S.

TRIAS!



## CAPUT I.

Tradens Notitiam DEI naturalem, ejus  
Media, Modum, ac Terminum,  
in genere.

Σύνοψις.

1. Qvod intellectus per sensus DEI M non cognoscat, loco Augustini illustratur.
- (2.) Habilitas intellectus naturalis supponitur. (3.) Principium duplex asseritur.
- (4.) Via per Rationem concludendi ostenditur. (5.) Cartesiana Methodus nova  
notatur. (6.) Recitatetur & explicatur. (7.) Examinata profligatur. (8.) Dio-  
nysiana collectio ut naturæ conveniens laudatur. (9.) Naturalem DEI cognitionem  
negantes indigitantur. (10.) Instantia ab exemplis Attheorum petita subjicitur.
- (11.) Attheismum speculativum iisdem non probari demonstratur. (12.) Naturalis  
bujus notitiae imperfectio è Gentilium idolatria arguitur. (13.) Apologia qvorun-  
dam Ethnicorum πολυθεότητα aversantium dijudicatur.

### §. I.

**A**Nte omnia in ipsô statim limine ad animum revocandum.  
Aest, sensus, qvos mentis satellites, eosdemq; duces ad verita-  
tem scitè alias Plato appellat, naturaliter in DEO vel indagando  
vel capiendo prorsus deficere, cùm & abstrusissima sublimitas &  
Es-